

Scripturam, in omnibus, ad salutem æternam, scitu creditu & factu necessariis, esse regulam universalem sufficientem & adæquatam eruendi farmandi constituendi & in apertum proferendi sensu divinum à Spiritu sancto, hoc vel illo loco dubio & explicatu difficulti, intentum *Joh. 8. 20, Att. 17. II. Matth. 4. 6. 7. 2. Tim. 3. 15. 16. 27. 2. Pet. 1. 19. 20. 21.* Nam Grammatica Rhetorica, Linguae originales, Stylus seu usus loquendi, Ratio, Logica, Philosophia, Historia & Arthæologia, sunt quidem media instrumenta & adminicula interpretandi generalia, ad sensum Spiritus sancti investigandum eruendum aliisque demonstrandum & persuadendum, utilia; non tamen sensum Scripturis extrinsecus de suo inferre, dare aut formare possunt; sed in ea invenire & latentem ut instrumenta, huic usui servientia, eruere ac in apertum proferre debent. At hoc debent facere indicio ductu & autoritate ipsorum Scripturarum, & secundum eas, per loca aperta & clara, de doctrina fidei & morum, per scopum, antecedentia, consequentia, connexio- nem, & loca parallela, se explicantes, & verum certum authenti- cum sensum constituentes, tanquam summam autocratoricam & sufficientem interpretandi normam, unde omnis interpretatio va- lorem robur & autoritatem suam habet; cuius sola lux radiis suis propriis tenebras ignorantiae & dubitationum dispellit; illuminat & convincit & quietam reddit mentem piam, cognitioni Scriptura- rum & veritatis divinæ intentam. Sic novum testamentum in ve- teri velatum latet, & vetus in novo revelatum patet, & utrumque sibi, ad veram plenam & accuratam lectoris & auditoris intelli- gentiam & persuasionem, mutuam præstat operam. *Att. 26. 22. Luce 24. 27.*

CXIX. Non autem illa Reformatorum hic est sententia, quod Scriptura, ab illuminatione & cooperatione Spiritus Sancti sejun- eta, per se, cuilibet lectori, modò, lumine suo naturali, studio- sissimè illam scrutetur, verum & plenum Spiritus Sancti sensum aperiat: ut nuperus Exercitatoris Paradoxi Antagonista, & magisterii Spiritus Sancti in Scripturis interpretandis assertor, Se- rarius, pag. 47. libri suis nonnullis ipsorum tribuit: nisi forte Remonstrantes similesque Pelagianos, extra Papatum, respiciat.

Sed